

## G L O G A W D V C A T V S.

*Bolkowitz.*

Circulus Bolcevicensis , ita dictus ab oppido Bolkowitz. Oritur hic amnis *Goltback* , qui distri-  
ctum Glogawicensem perlabens , in eodem se  
Oderæ milcet. Non longe hinc in Ducatu Li-  
gniciensi juxta pagum *Sprottichen* , pullulat  
*Sprotta* fluviolus , qui , postquam circulo & ci-  
vitati *Sprotta* nomen dedit , in flumen Bober se  
præcipitat.

*Sprotta.*

*Beuthen.*

Circulus Beuthensis , quem *Viadrus* medium  
perlabitur , oppida habet duo , *Carolath* & *Beut-  
hen*. Domini de *Schoniach* , ad quos dominium  
hoc pertinet , Gymnasium Beuthenii erexere.  
E regione *Carolath* , fluvius *Weisfurt* , in ditione  
*Freystattensi* ortus , in Oderam influit.

*Freystadt.*

Circulus *Freystattensis* , locus admodum con-  
spicuus , aliqua ex parte montibus stipatus , &  
dominium in circumiacentes tractus exercens ,  
nomen habet à patentibus liberisque campis si-  
ve arvis , quibus passim refertus est , quæque in  
hodiernum etiam diem *liberi campi* ab incolis di-  
cuntur. Antiquitate venerabilis est , et si ejus  
primo circa annum Christi 1380 meminerint  
historiæ. Inter cæteros amnes , qui hic origi-  
nem habent , & ab Odera absorbentur , præci-  
pius est *das Schwartzwasser*.

*Grunberg.*

Circulus *Grunbergenis* , extremus inferioris Sile-

siæ versus occidentem tractus , ita dicitur ab ur-  
be *Grunberga* , quod videtur à viridibus collibus  
defluxisse.

Videtur etiam in hac tabula pars fluvii *Hebri* , *Hebrius fl.*  
quem *Bober* vulgo dicunt , qui in Principatu  
*Schweinitz* Bohemiæ finibus , juxta oppidum  
*Landshut* ortus , percurrit Principatum Iaur ,  
præteritq; oppida *Hirschberg* , *Lemberg* , *Buntzel* , ad  
*Sprotta* usque , ubi fluvio *Sprotta* auctus , & ab-  
sorpto primum *Quislo* in Lusatia orto , Sagam  
versus labitur : inde civitatem *Crossen* petit , &  
*Neissæ* flumini comes factus *Francofurtum* ad  
Oderam festinat per Marchiam Brandenburgensem  
*Custrinum* versus : porro civitatem *Britzen*  
transit , atque ex Marchia Brandenburgensi , re-  
lictis post se *Gartz* & *Griffenhagen* , Pomeraniæ  
perlabitur , atque tandem , postquam infra Ste-  
tinum , lacum *Magnum* efficit , tribus ostiis in  
mare Balthicum præcipitatur.

Anno 1333 Ioannes , Glogoviensis dux cum *Glogaw sub  
rege Bohemiae*.  
Ioanni Regi Bohemiæ medianam partem duca-  
tus vendidisset , idem Ioannes Rex exercitu in  
Glogoviam veniens , alteram etiam partem in  
suam rededit potestatem. Posteaque omnes Si-  
leſiæ Duces Regi Bohemiæ se subjecerunt.

